



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Vtru[m] conuenienter Ordo definiatur à Magistro in 4.
Sententiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

SACRAMENTO ORDINIS.

à quest. 34. usque ad quest. 40. inclusivè.

CAPVT I.

De Essentialibus huius Sacramenti.

DVBIUM I.

Vtrum in Ecclesia debeat esse Ordo?

Varij sunt gradus seu Ordines in Ecclesia.

Respondeo: In Ecclesia necessariò debere esse Ordinem; id est, distinctionem graduum & ministeriorum sacrorum, per quos alij alijs præsent, & diuina administrant. Ratio est: Primò, Quia Ecclesia est veluti vnum corpus heterogeneum, quale est humanum; ad Rom. 12. atqui in corpore debent esse varia membra, quæ habeant distincta officia, inter se ordinata, & quorum aliud influxum habeat in aliud: ergo & in Ecclesia debent esse varij gradus & ordines inter se ordinati, per quos alij in alios sacrum influxum habeant. Secundò, Ecclesia, quæ est in terris, debet imitari caelestem, in qua sunt varij gradus superiores & inferiores: ergo similiter & in ea tales esse debent. Idem confirmari potest ex Republica Politica, in qua sunt varij gradus.

DVBIUM II.

Vtrum conuenienter Ordo definiatur à Magistro in 4. Sententiarum?

Ordinis definitio.

Respondeo: Ordinem rectè sic defini: Ordo est signaculum quoddam Ecclesie, per quod spiritualis potestas confertur Ordinato. Addit Scotus, destinata ad Eucharistia ministerium. Quod explicatur: nam omnis Ordo, vel est ad Eucharistiam consecrandam, vt Sacerdotium: vel ad ipsos Sacerdotes consecrandos, vt Episcopatus: vel denique ad exhibendum aliquod ministerium præuium Eucharistia consecrationi, vt reliqui Ordines inferiores.

Ordo dupliciter accipitur.

Notandum est: Ordinem dupliciter accipi, vt aduertit Scotus dist. 24. a. 3. Primò, Pro ipsa potestate seu gradu; sicut cum dicimus, in Ecclesia, & in Angelis esse varios ordines: sic accipitur in 1. art. Secundò, Pro Ordinatione, seu ritu externo, quo confertur hæc potestas: sic accipitur in 2. art. Ritus enim ille seu cæremonia, quam vocamus propriè Ordinationem, est signaculum quoddam Ecclesie, id est, quoddam signum externum in Ecclesia Christi, per quod spiritualis potestas confertur Ordinato: nempe potestas administrandi & conficiendi Sacramenta, aut ea quæ ad Sacramentorum administrationem, vel receptionem referuntur. Dicitur autem hæc potestas spiritualis, quia ad effectum spiritualem destinatur, siue proximè, siue remotè.

Petes: Cuius rei signaculum est ordinatio externa?

Respondeo: Duplicis, nempe potestatis, quæ per eam confertur; & gratie sanctificantis, quæ ad rectam functionem illius potestatis est necessaria.

DVBIUM III.

Vtrum Ordo, seu potius Ordinatio, sit Sacramentum?

Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. §. 31. admittit esse Sacramentum, sicut Baptismum & Cœnam. Idem docent Molles confessionistæ; vt patet in Apologia confessionis Augustinæ art. 13. Rigidij Lutherani negant.

Respondeo: Fide tenendum est, Ordinationem esse verum & propriè dictum nouæ legis Sacramentum. Probatur Primò: Ex Script. 1. ad Timoth. 4.

v. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.

2. ad Timoth. 1. v. 6. Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. His locis loquitur Apostolus de Ordinatione Timothei, vt docent communiter Patres. Tria autem requiruntur ad rationem Sacramenti propriè dicti; scilicet Ritus externus, promissio gratiæ, & perpetua eius ritus duratio: quæ tria hic reperiuntur. Nam Ritus externus est impositio manuum. vnde Patres, præsertim Græci, Ordinationem, quæ fit ab Episcopo, vocant χειροτονίαν vel χειροποισίαν, id est, manuum impositionem. Promissio gratiæ insinuat, cum dicitur gratiæ esse datam per impositionem, seu cum impositione manuum. Perpetua duratio indicatur, in eo quòd Timotheus, tanquam Pastor Ecclesiæ acceperit hanc impositionem. Ecclesia autem semper debet habere Pastores, vt patet ad Ephes. 4.

Dices Primò: Illis locis non agitur de gratia iustificante, sed de officio & munere Episcopali non negligendo: Græcè enim non est χάρις, id est, gratia, sed χάρισμα, id est, donum.

Respondeo: Apostolus per illud nomē Charisma, non solum intelligit munus Episcopale, sed etiam gratiam, ad illud munus ritè obeundum, necessariam: hoc enim nomen commune est, significans omne donum Dei, siue gratum faciens, siue gratis datum; vnde non debet restringi ad nudam potestatem Episcopalem. Quod confirmatur: nam Apostolus 2. ad Timoth. 1. cum dixisset, Resuscita gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum, statim explicat quæ sit illa gratia: Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis, qui spiritus haud dubiè, est gratia sanctificans. Idem confirmatur Ioannis 20. v. 22. vbi Dominus, cum daret potestatem absoluenti, quæ est pars quædam potestatis Sacerdotalis, simul dedit Spiritum S. dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis &c. Atqui in Scripturis nunquam absolute dicitur dari Spiritus sanctus, nisi quando datur gratia iustificans.

Dices Secundò: Christus non ordinauit Apostolos per manuum impositionem: nam Luca 22. sine vlla cæremonia fecit eos Sacerdotes, cū ait v. 19. Hoc facite in meam commemorationem: ergo.

Respondeo: Etsi Christus ibi non imposuerit manus, eò quòd solum potestatem consecrandi contulerit, ad quam etià modò manus nõ imponuntur; potuit

Hæreticorum contrariæ sententiæ.

Vera & Catholica sententiæ.

1. Ex Scripturis.

Quid intelligatur per Charisma.